

Documentum

Ecclesia abbatialis Strahoviensis titulo Basilicae Minoris honestatur

JOANNES PAULUS PP II. ad perpetuam rei memoriam.

Inter sacras aedes Pragae, clarissimae urbis, eminere novimus paroe-
ciale et abbatiale templum Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae,
in quo, ornamentis artisque operibus decoro, et Deipara Virgo impensa
pietate colitur et iam a XVII saeculo pie servatur corpus Sancti
Norberti, archiepiscopi, conditoris ordinis Praemonstratensis atque
Boemiae Patroni. Qua re, cum venerabilis frater Miloslaus VIh,
archiepiscopus metropolita Pragensis ecclesiae, litteris die V mensis
Septembris hoc anno datis, etiam nomine abbatis generalis omniumque
sodalium ordinis Praemonstratensis necnon cleri populiue sui petiverit
ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus,
Nos, peculiare dilectionis Nostrae documentum cupientes praebere,
enixis precibus obsecundandum esse putamus. De sententia igitur
Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam
ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, harum litterarum
virtute perpetuumque in modum templum, de quo mentionem fecimus,
titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et
liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite
competunt, iis tamen servatis quae iuxta decretum — de titulo Basilicae
Minoris — die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum,
servanda sunt. Ceterum vota facimus ut auctus tam antiquae ac nobilis
ecclesiae honor bene vertat quoque in spirituale bonum omnium fide-
lium qui in eam ingredientur Dei auxilium ac validissimum Virginis
Mariae et Sancti Norberti patrocinium rogaturi. Has denique litteras
sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet
non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub annulo
piscatoris, die VI mensis Novembris, anno MCMXCI, pontificatus
Nostri quarto decimo.

(L.S.)

Angelus Card. Sodano, secretarius status

Hoc Breve Apostolicum die secunda mensis Februarii anno MCMXCII in ecclesia Strahoviensi inter missarum solemnias a Giovanni Coppa, Nuntio Apostolico apud gubernium in civitate Pragensi accredito, promulgatum est.